

**Pro literatoribus et grammaticis oratio / [Pieter Burman].**

**Contributors**

Burman, Pieter, 1668-1741.

**Publication/Creation**

Leyden : C. Wishoff & D. Goedval, [1732]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q9e4pxw3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

80458

PETRI BURMANNI  
PRO  
LITERATORIBUS ET GRAMMATICIS  
ORATIO,

HABITA A. D. VIII. FEBRUARII

CICICCCXXXII.

CUM MAGISTRATU  
ACADEMICO ABIRET.



LEIDAE,  
Apud CONRADUM WISHOFF  
ET  
DANIELEM GOEDVAL.

LETTRI BL

p

LITERATURIBUS

A Y O

HABITAV.DA

CISIDOCXXII

CUM MAGISTRATE

ACADEMICO ABIRET.



LEADER

Ab CONRADUM WISCHER

DVNIEL EM GODEVAL

GENEROSI ET ILLUSTRES ACADEMIAE BATAVAE  
CURATORES , QUIQUE IIS AB ACTIS , VIR GRA-  
VISSIME.

DIVINARUM ET HUMANARUM DISCIPLINARUM PRO-  
FESSORES , CONSORTES OPERUM ET COLLE-  
GAE CONJUNCTISSIMI.

COLLEGIO THEOLOGICO PRAEFECTE CLARI-  
SIME :

TRIBUNALI ACADEMICO A TABULIS VIR SPECTA-  
TISSIME.

CERIMONIARUM PUBLICARUM ANTISTITES SANC-  
TISSIMI.

OMNIUM ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES ;  
INGENII ET DOCTRINAЕ LAUDE FLORENTES.

CIVES , HOSPITES , INCOLAE , ADVENAE , O-  
Mnis LOCI ET ORDINIS HONORATISSIMI.

TU DENIQUE ADOLESCENTIAE ACADEMICAЕ FRE-  
QUENTISSIMA CONCIO , SEMINARIUM REIPUB.  
ET ECCLESIAE , CURA ET LABOR NOSTER.



mnium artium & disciplinarum ,  
quibus bona adolescentes indole  
præditi , cum ad humanitatem &  
civilis vitæ rationem , tum ad  
mentis & supremi Numinis co-  
gnitionem & cultum informari so-  
let , commune quoddam esse vinculum & quasi  
cognitionem , qua inter se continentur , pervaga-  
ta opinione , & quotidianis sermonibus celebra-  
ri audimus . Neque , licet in diversa & saepe  
contraria studia hominum mentes & voluntates  
se sciderint , potuisse hæc divortia efficere , quo  
minus altera alterius ope & subsidio ad incre-  
menta & perfectionem , aut ornatu & splen-  
dore ad decus & dignitatem indigere credan-  
tur . Humani generis imaginem doctrinarum va-  
rietatem referre ajunt , & hanc disciplinarum dis-  
similitudinem non minus firmo inter se foedere  
devinciri , quam omnium mortalium consanguini-  
nita-

## O R A T I O .

nitatem. Qui cum eodem cuncti semine & ortu generati, communem prius domum & familiam connubiis consociatam, deinde adfinitatis, cognationibus & amicitiis amplificatam, fortiti fuissent, omnia diu membra tacita quadam lege & pactione originis adstricta permanserunt. Quamvis etiam paullatim ex patriis sedibus foras serpere, & ab avito domicilio longius recedentes in gentes & populos descripti fuerint, certae tamen universis & singulis ejusdem principii notae impressae in hunc usque diem duraverunt, quae nec longinquitate temporis obscurari, nec locorum distantium discrimine penitus deleri potuerunt. Quum vero haec sanguinis & stirpis necessitudo animorum etiam concordiam ingenerare, & amabili consuetudinis & amoris nodo humanam vitam adstringere debuisset, rebus tamen & eventu deprehensum est, non modo gentes disjunctas & vicinas rarissime mutuae charitatis pignore obligari, sed inter ejusdem nationis cives, iras, odia, rixas, seditiones, immo horrenda saepe bella exoriri, & plus quam civiliter exerceri. In familiis etiam & cognationibus, qua nobilium, qua plebeiorum, gratiam & animorum conspirationem plerumque quaeri, & quo propius a communi

## O R A T I O.

stirpe absunt, eoque unanimes maxime esse oportet, fratres in acerbissimas lites & funesta praelia armari.

Idem fatum & calamitas Doctrinarum communitatem adfixit & dissolvit; & diversarum artium studiosos, quos eadem omnium origo & finis, humanae naturae necessitas, vitae publicae utilitas, privatae voluptas, & ipsa ratio coniunctissimos esse voluit, inter se commisit. Multos quidem magnificis Orationibus aures nostras & haec acroateria personare audimus, bono societatis civilis, splendori & excellentiae ingeniorum, eas, quas quisque profitetur, artes inventas & excogitatas esse, neminemque inter eruditos reperiri, qui non a laudata magna cum ostentatione disciplina, ali, adjuvari & ornari aliorum artes glorietur. Unde rerum literiarum minus prudens, & paratissimae materiae facilitatem insolentiae dicendi egregie subvenire ignorans, auditor, pro se quemque operas mutuas, ad excolendam scientiarum communionem, & ad sanctissimum sapientiae & eruditionis templum exstruendum, certatim conferre, colligeret. At aliter evenire experimur, & non minore rabie eruditos in odia capitalia exardescere, & lingua & calamo in communem eversionem pracliari, quam reges & potentes fer-

## O R A T I O.

3

ro & igne inter se saevire consueverunt. Ne per omnes hodie artes vagando exitum non inveniamus, contemblemur modo nobiliores disciplinas, quae nulla manuum opera, sed naturae, artificiosissimae omnium matris, vi, mentis & ingenii perspicacitate inventae, deinde sollicitia & industria singulari exulta & perpolitae, tantae admirationi & venerationi quondam fuerunt, ut qui ad summam earum processisset, inter mortales Deus quidam haberetur. Ad quod laudis & gloriae fastigium in primis adspirasse utriusque eloquentiae cultores, Poëtas & Oratores, nemo antiquitatis gnarus inficiabitur. Hos recens natorum hominum feros cultus voce formasse, primos & solos diu rerum divinarum & humanarum, sapientiae, justitiae, temperantiae, & omnium virtutum magistros existisse, toties certissimis ex vetustate monumentis est confirmatum, ut uno omnes ore jam confiteantur. Sed quum ex hac vulgi, saepe supra meritum, existimatione ingentes, ut solet, spiritus sumerent, & Poëtae, etiam vulgares & plebeji, sanctissimos vates, divinae mentis certissimos interpretes, & solos se Theologos ferrent; Oratores vero callidi & versuti celeris & exercitatae linguae volubilitate populi mentes, quo vellent, ducerent, & in concionibus

A 3

bus

bus civitatum , & conciliis procerum dominari vellent, vitiosissimae inter se aemulationi , & aliorum invidiae januam aperuerunt. Deinde vero quum a suis artibus segregatam , & relictam morum curam & doctrinam , insolentissimo titulo Sophi , mox minus superbo Philosophi appellati , ut vacuam possessionem , occupassent , de laude & fama Poëtarum & Oratorum , splendida sub specie , detrahere inceperunt. Poëtas puerilium & impiarum fabularum architectos , Diis a se factis pudenda etiam hominibus facinora & scelera adfin gere , nec eos re sed opinione existere , docere criminabantur : & impietatis suspiciones , quibus popularium ceremoniarum antistites ipsos philosophantes premebant , in Poëtarum capita avertere conabantur. Oratores autem a vera eloquentia , quae olim sapientiae , ut natura , ita officio , erat copulata , ad sophisticam versutiam delapsos , & linguam in quaestu habentes , discordiis & rixis fora , curias & conciones miscere & turbare , clamabant.

Contra disciplinae humanioris vindices Sophos hos simulatae & falsae sapientiae conditores , nihil re praestare quod lingua promitterent , superbos , & omnes praeter se mortales stultitiae dannantes , argutiis ridiculis , contentionibus & dissensionibus

## O R I A T I O.

7

sionibus puerilibus omnia replere, & a veri & recti cognitione longe abesse, ostentationis vero aut quaestus gratia philosophari, in vulgus spargebant. Hinc internecinum inter sapientiae & humanitatis studiosos & cultores odium conflatum, & penitus eorum mentibus insitum, per longa tempora fuit propagatum.

Acrior vero & violentior, unde minime metuebatur, humanitatis disciplinae, licet multis etiam a fôrdibus priscis expurgatae, procella incubuit, postquam Christiana religio, vanissima superstitione extincta, caput attollere est visa: odiis enim & invidiae ex ipsa veritate & puritate sacrorum ingens accessit incrementum. Quamvis etiam omnis Christi & Apostolorum disciplina ad charitatem & mutuum amorem esset composita, inter graviores tamen animorum, de ipsa religione, ejusque dogmatibus, & coetuum Ecclesiasticorum decretis & publicis ceremoniis, dissensiones & motus (quos nunc commemorare nihil attinet) disidia etiam de via & ratione vindicandi religionis capita a Poëtarum lusibus & irrisiōibus, ab Oratorum cavillatione, & Philosophorum Sacerdotumque calumniis, exorta fuerunt.

Erant, qui contra ingenia, sollertia & calliditatem oppugnantium, facile per se religionem posse

se defendi , tantamque in ipsa doctrina vim certi  
& veri inesse credebant , ut nullis adjumentis , aut  
ornatibus aliunde arcessitis , simplicitas & integri-  
tas ejus indigeret . Alii vero ab artibus Graeco-  
rum & Romanorum ingenio excultis multam &  
lautam supellestilem comportandam , tela quoque  
ex hostium armamentariis , quibus eos confode-  
rent , depromenda existimabant . Paullatim vero ,  
primum per Academicam , mox Peripateticam , &  
tandem Scholasticam & barbaram Philosophandi  
rationem in contubernium Theologiae adscitam ,  
oppressa & submersa puriore religione , extinc-  
tis etiam bonarum artium studiis , odia quidem in  
literatores , qui vel nulli vel pauci , iisque admo-  
dum Barbari & Gothici erant , parumper quieve-  
runt : sed vix novum tenebricoso orbi lumen effe-  
rebant Grammatici & Literatores , ipsique divi-  
nae & humanae sapientiae pro deformi & turpi  
splendidiorem & purpuream vestem parabant , quin  
de renovandis per calumniam & malitiam probris ,  
quibus primi Christianismi adsertores gentium  
Poëtas & Oratores jure presserant , inter corru-  
ptae & depravatae utriusque doctrinae Magistros  
facile conveniret . Hinc deinceps , usque ad in-  
sequentia tempora , acerbissima convicia & male-  
dicta in humanitatis & literaturae vindices deflu-  
xerunt .

## O R A T I O.

89

xerunt. Quum vero Philologiam profitentibus, & ex omnibus olim celebratis artibus ad usum & ornatum necessariam & mundam supellectilem congerentibus, nulla veri specie inscientia & variarum rerum ignoratio exprobrari posset, ipsa Linguarum, Antiquitatum, Historiarum, Poëticas & Eloquentiae Studia, nihil non modo rei Christianae conferre, sed religioni satis per se munitae nocere, in populum divulgabatur. Rigidae in primis sectae simulators, qui inconditis & absfonis clamoribus & vociferationibus tempa & acroateria percrepabant, ipsos humanitatis Professores, quod omne aetatis tempus in gentium impiarum, & superstitionibus oppressarum fôrdibus contererent, contemtionis Divinorum voluminum & impietatis labe adspargere non erubuerunt.

Hanc maculam, primis literarum instauratoribus inustam, quum etiam nunc nostro ordini insidiat, & politioris doctrinae neglectione serpente & latius in dies manante, inveterascat, hodie eluere, & apud utriusque Sapientiae antistites, aequos, ut spero, in hac disceptatione judices, Literatorum, vel ut humiliori adpellatione nos deprimunt, Grammaticorum caussam dicere decrevi: Principia & origines odiorum & infamiae,

B

qua

qua immerito flagraverunt, explicare: religionem, innocentiam & pietatis studium firmis argumentis adserere: maledicta & probra, quibus semper vexati sunt, propulsare: & contemtae & neglectae religionis & publicarum ceremoniarum suspiciones, in quas saepe vocantur, omnibus viribus expurgare conabor.

Favete, quaeſo, Auditores, & oratori non sponte sua ad dicendum prodeunti, & definere quam deficere praeoptanti, neque per dentium raritatem clara aut suavi voce placituro, per oculorum aciem hebetatam scripti subsidio, & per aetatem memoriae fide destituto, singulari benignitate subvenite: & hanc non canescensem, sed canam orationem, non in aliarum artium cultores convicia jacentem, sed sui ordinis, satis jam despecti & jacentis, integritatem & religionem vindicantem, bona cum venia & silentio audite. Si qua etiam, fato quodam meo, non omnibus aequa placitura interposuisse videbor, grande satis operae me pretium tulisse putabo, si judicibus idoneis & sapientibus vera, & testimoniis & monumentis confirmata, dixisse probavero.

Ne vero ab ovo, quod ajunt, ordiar, nec inde oratio proficiscatur, unde primam calumniandi originem & cauſam ducendam modo dixi, non  
al-

altius hodie adscendam, quam ad ea tempora, quibus artes liberales a principatu, quem solas diu tenuisse alia olim oratione probavi, dejectae, sub graviorum disciplinarum pondere obrutae, & conticescere coactae, in barbariem & vastitatem abierunt. Academiarum & Universitatum, ut vocant, dignitatem & titulos adeptis Scholis & Gymnasiis, in quatuor ordines, sed in unum collegium consociatos, doctores describi inceperunt. Quae ipsa in classes & dignitatum discrimina distributio, aemulationis & invidiae prima semina inter eruditos jecit. In inferiora enim subfellia detruvi Literatores, non modo se regno deturbatos, sed vix infimum locum tuentes, vili Grammaticorum & Paedagogorum titulo, ab ipsis Philosophis, qui a Theologis rejecti, in eorum collegium irrepserant, cum fastidio recipi, & omnium disciplinarum parvam & exiguum accessionem haberi, fremebant. Qui corporis morbis & vitiis se mederi profitebantur, quum gratia potentum, quorum valetudinem regebant, ex pharmacopoliis & chirurgorum tabernis in Academicas traducti cathedras, fructuosissimam sibi & heredibus officinam ex mutis olim artibus aperuissent, steriles & mendicantes Musas divitiis adfluenti turbae loco cedere coegerunt. Publici & privati juris inter-

pretes, quia sine eorum consiliis & responsis, nullas privatorum possessiones certas, nulla civitatum vincula firma, nulos Reges, magistratus aut judices, sine juris, in quo versabantur, peritia, partibus suis fungi, communes denique & domesticas fortunas & salutem in auctoritate & prudentia eorum inniti gloriabantur, apud omnes gratos & potentes, obliquis tamen oculis divini juris antistites supra se collocatos, & Antecessores ipsos antecedere intuebantur. Sed haec omnia de ingenii, mentis & corporis curatione, cultu & medicatione, de regnum & civitatum tutela & moderatione, splendide jaetata, aeternae animarum saluti, quae numinis pio & legitimo cultu, intelligentia & persuasione veritatis a Deo traditae, continetur, posthabenda; neque ambitioni aut cupiditati, sed disciplinae nobilitati & excellentiae summam honoris sellam, divinae scientiae doctores deberi clamitabant. Qui quum omnes fere tum maxime, monasteriorum ergastulis, & Episcoporum claustris refractis, in celebritatem & splendorem Academicum erepsissent, omnes prae se ordines ex alto despiciebant. Longum foret, si, omnia jurgia, probra & contumelias, quibus aliarum disciplinarum doctores a consortibus onerati fuerunt, ex antiqui aevi monumentis enumera-

re

re vellem : sufficiet instituto meo , si a crassis & coenobiorum sagina distentis & tumidis ventribus , re gno suo , crepusculo quodam felicioris aevi illucescente , timentibus , in liberalium artium Professores congesta maledicta delibem .

Poëtis vanitatem & arrogantiam , Oratoribus fallacias & veteratoriam calliditatem , Historicis dubiam fidem , laudes & vituperationes non veritatis studio , sed gratia vel odio attributas , Criticis intolerandam temeritatem & confidentiam , Grammaticis paedagogicum fastum & vultum , & in nugacibus elementis ridiculum supercilium , omnibus denique Philologis insignem p[re]ae literis fatuitatem , & rerum divinarum , naturalium & civilium imprudentiam objectabant . Non ea mihi frons est , ut falso haec semper exprobrata fuisse contendam ; sed paucorum , literarum studio abutentium , non ipsius humanitatis vitia , integris ab hac labe viris alto animo despiceret licuisset , nisi his opprobriis numinis & religionis contumitionem , non ex hominum vitiositate , sed ex interiorum literarum cultu , principia ducentem , tamquam ignominiarum cumulum adjecissent . Et idcirco non ex mala & nugatoria criminazione , quae non solos Grammaticos petit , sed superiorum ordinum doctores sub eadem caussa obruit ,

Literatoribus hodie patrocinium petam: segregabo  
a principum in orchestra & quatuordecim seden-  
tium defensione Grammaticorum caveam; nec a-  
cerba dicta, proverbia frigida & jejuna, quibus  
optimi Juris prudentes pessimi Christiani perhiben-  
tur, quibus medicorum religio, aut potius impie-  
tas, jocis, jam vetustate contritis, traducitur, re-  
futabo. Non reclamabo illis, qui novos quotidie  
nobis Diagoras & Theodoros, omnem Dei vim  
& naturam tollentes, existere vociferantur: nec  
opinionem ab ultima memoria apud gentes, & in  
primis sacerdotes inveteratam, eos qui philo-  
sophiae operam dant, Deos non esse arbitrari, men-  
daciī convincam: satis mihi negotii superesse vi-  
deo, si Grammaticos veros & legitimos, recte de  
Deo, constitutis sacris & ceremoniis sentire, &  
praeter meritum invidia, damnosa famae & vitae,  
quieti & tranquillitati adversa, flagrare, non ab-  
surde ostendisse me judicetis. Pervulgata quoque, & a  
primis jam veritatis Christianae adsertoribus, in  
Poëtas & fabularum conditores merito in-  
torta tela & fulmina, in nostrum caput missa  
non fingemus; Graecorum enim & Latinorum  
vatum religionem & erga Deos reverentiam, si-  
ne certis rerum argumentis, invidiose nimis  
extollere, superstitionis exoletae & impietatis

ma-

manifestae patrocinium me adripere videri posset.  
Intra terminos mihi praescriptos, & tempus,  
quod ex densissima caligine, in qua etiam nunc  
jaceret, nisi literarum lux adparuisse, purio-  
rem Dei cultum extraxit, orationem coēr-  
cebo.

Pueris & tyronibus constare arbitror, tria ab-  
hinc fere secula, viros quosdam elegantioris dis-  
ciplinae & variae eruditionis studio perpolitos,  
intermortuas & fere sepultas in Italia artes  
excitasse, & hac ipsa molitione Episcopi Ro-  
mani ejusque satellitum tyrannidem, quae omnia  
id temporis imperia, regna & civitates oppres-  
sa tenebat, labefactasse & convellisse. Actum  
erat de omni sacrorum corruptissimorum emen-  
datione, nisi aevo praeclaris ingenio & e-  
ruditione viri existissent, qui vim mentibus in-  
sistam egregia doctrina recti & veri corroboran-  
tes, splendore literarum occaecatos hominum  
animos illuminare, errorum puerilium, & ani-  
lis superstitionis prodigiosa portenta convincere,  
& firmissima, ut videbantur, dominationis into-  
lerandae fundamenta subruere ausi fuissent. Quis  
vero non Heroa aliquem, aut certe Herculea  
audacia praeditum ad tot monstra domanda,  
Imperatorem aut Regem, magnis succinctum vi-  
ribus

ribus, quibus commentitium hoc & impietate & fraudibus fundatum Paparum regnum everteret, opus fore existimat? At Imperatores & Reges, vires suas saepius experti, ad pedes Pontificis abjecti, sub gravi jugo gementes, comiter maiestatem ejus reverebantur: An ex Antistitum prioris ordinis, sacerdotum aut monachorum immensa multitudine, aliquem sodalibus suis animosiores, aut ingenio & doctrina ceteros antecedentem, hoc opus adgressum suspicabimur? Hi omnes signiferi & satellites dominationis in partem praedae & spoliorum vocati, ad idem potentiae culmen se adspirare posse sperabant. An ex juris prudentum, quorum tunc ingens per Italiae urbes, Academias, curias & aulas erat proventus & potentia, ordine, aliquem libertatis & legum tutorem & vindicem exortum fuisse credemus? Hi quoque rei facienda & dignitatis incrementis unice studabant, & ex Pontificii cum civili juris confoederatione, & utroque ad regnum Papale firmandum accommodato, uberrima praemia spectabant & reportabant. Grammaticorum, Poëtarum & Historiarum perscrutatorum, ceteris quiescentibus, hanc fuisse praecipuam laudem, quis non miretur & obstupefacat? Hos primos miseris  
audir mor-

## O R A T I O.

17

mortalibus vexillum ad melioris doctrinae & libertatis spem extulisse, quis, nisi ex certis constaret monumentis, persuaderi sibi pateretur? Grammatici, hodie tam viles & abjecti, primum Linguae Latinae, mox Ecclesiae emendatores, arces a Pontificibus Europæ jugulis & faucibus impositas, non vi & inconsulto impetu & incursione dejecerunt, sed occultis machinacionibus & cuniculis muros earum & munimina suffoderunt. Liberrimis & ridiculis, sed sententiosis & argutis, dictis, jocis, communibus & plebejis proverbiis, fabulis & narrationibus, quas avidissime vulgi aures imbibunt, Satyris, mordacibus carminibus, ludis etiam theatralibus, solidiori doctrinae proludebant. Nec plebis & honestissimi ordinis civium ignorantiam, Regum & optimatum turpe & servile obsequium perfrinxisse contenti, ipsorum, qui sacra, quibus praerant, profanabant, libidines, luxuriam, furta, rapinas, divini & humani juris contemtionem & incredibilem impietatem, mentibus & oculis hominum tanto cum urbanorum adplausu exponebant, ut brevi totus infulatorum & cucullatorum grex deridendus & explodendus daretur. Non impune quidem & ex tuto semper (quis enim umquam sine capit, fortunarum

C

aut

aut famae discrimine hanc nationem laceruisse legitur? ) at semel commota Poëtarum & Grammaticorum ingenia non ideo quiescebant; & lepore dictorum, festivitate narrationum, suavitate numerorum & modorum, sensim in mentibus populorum fastidium & despectionem impuræ colluviei excitabant: ingenuorum etiam animis & frontibus acerrimum pudorem incutiebant, qui tam diu se deceptos & circumductos ab his nebulonibus indignabantur. Ipsa quidem doctrinae corruptissimæ capita & dogmata leviter & antesignanorum more velitaribus hastis impugnantes, incursione subita & non exspectata, aciem turbatam militibus gravioris armaturæ, mox praeliaturis, profligandam relinquebant; & professis deinde veritatis antiquæ adfertoribus, hîc & illic capita exferentibus, evvertenda, & ab errorum monstris purganda, ut vacuam provinciam, tradebant. Et quamvis Grammatici in justa cum illis acie vix constitere auderent, si qui tamen animosiorum pugnatorum in vitae periculum ob libertatem docendi devenerant, illorum vexationibus & suppliciis lacrimas & dolorem commodabant, & ex constantia & fortitudine testium veritatis per tormenta & cruciatus enectorum, miserationem popu-

populo, & carnificibus odium commovebant.

Historiarum vero prioris aevi rimatores, suas partes strenue agentes, & rerum in imperio & ecclesia gestarum monumenta excutientes, in arcana dominationis irrumpebant, & originem, incrementa, perfectionem & absolutionem immanissimae Tyrannidis discebant. Nec conscientia sua contenti, Papam, Episcopos, monachos ad immensas divitias & potentiam evectos, omnia fraudibus & sceleribus decessorum, bellis & dissensionibus, a se aut emissariis excitatis, debere, & Imperatorum, Regum & civitatum vires fregisse, suam vero potentiam illorum rui- nae superstruxisse, summa cum libertate, docebant. Episcopos, quibus, praeter docendi populum munus, & animarum curationem, nihil unquam a Christo aut ejus administris erat impo- situm, regna & provincias regia vi & jure oc- cupasse, & violenter retinere ostendebant.

Laurentius Valla, non alia tribus abhinc seculis, laude, quam grammaticae & elegantioris dictionis laude, tum maxime florens, primus quaedam Romae novare, & inter alia donatio- nis a Constantino M. factae fidem & au<sup>t</sup>orita- tem infirmare & tollere ausus, nullo, ne imagi- nario quidem, jure Romam & optimam Italiae

portionem a Papa possideri , acerbissima declamatione probare non dubitavit. Tantillus , si cum honoribus & imperio fulgenti & superbo Clericorum grege comparetur , linguae Latinae & artis bene dicendi Magister , securus rarae eruditionis fama & gloria frui , & si cupiditati Papae adulari , & scelera reticere quam prodere maluislet , venustus & gratus apud omnes aevi sui eruditos haberi potuisset. Nunc quam linguae intemperantis mercedem tulit ? nullam , nisi ut maledici , mordacis & impii infamiam vivus subierit , & ad inferos delatam ignominiam , apud posteritatem conservaverit. Quam plenum inconsiderantiae , quam demen-tissima temeritate praecipitem hodie fuisse crede-mus , quem omnes tunc ridicule insanientem , acerbissimo supplicio sponte se offerre cla-mabant ! Quem Franciscus Philelfus , & ipse jam aliqua eruditionis copia insignis , fastidium vitae cepisse ad amicos scriberet , qui ab hac scabie unguis non abstineret , nec a perstrin-gendo purpurati ordinis principe & ejus co-mitibus praesentissimo vitae discrimine pote-rat deterri. Non placebat turpibus his aulae Romanae adulatoribus , & ad Comicam levitatem fictis Gnathonibus , hic Vallae impetus & fero-

ferocia , qui omnibus adridere , & ingenia etiam insulfissima admirari , neminem in os laedere aut reprehendere , etiam si aliter sentirent & , ubi tuto licebat , profiterentur , seculi vitiis & corruptelis indulgere , facilitatis & mansuetudinis morum praecipuam laudem , certissimum naturae bonitatis , humanitatis & politi nitoris argumentum esse praedicant . Non invidemus ejus temporis , & si qui hodie famelicam hanc disciplinam sectantur , parasitis tam foedam & inurbanam comitatem & servile obsequium , sed nobis , cum magno Erasmo , illa Vallae ferocitas & maledicendi , ut vocabatur , cupiditas & insania , singularis potius candor , & acerrimus ille dolor ex crudelitate & importunitate Papalis regni conceptus & egestus , permodesta & pia quaedam stomachatio videtur .

Quantum vero usserit , & quam sollicitos haec temeraria Vallae inceptio Romanae cupiditatis ministros fecerit , exilium , infidiae & laquei , quos jurato hosti posuerunt , loquuntur . Nam ut , quem fraude ac vi non poterant , sub impietatis crimine quasi jure opprimerent , avide occasionem ab insulso monacho oblatam adripuerunt . Antonium quemdam Betontinum , nulla dote , nisi raucis ad populum vociferationi-

## O R A T I O.

bus , vultu motuque corporis vasto & agresti conspiciendum , pro concione Valla confidentissime adfirmantem audiverat , duodecim persuasionis Christianae capita singula ab Apostolis concepta , & in unam formulam conjecta fuisse . Adit ad hominem , & commenti falsitatem quum ostendisset , stuporis & ignorantiae illiteratum clamatorem convincit . Ille ira & pudore ardens , per continuos aliquot dies Vallam publice conviciis ineptissimis proscindit . furibundo , quo cathedra , parietes & fornices templi resultarent & tremerent , ululatu exclamat , esse aliquem , qui neget Apostolos formulam illam composuisse , singulosque symbolam contulisse , & tamquam haereseos & impietatis cumulum addit , esse , qui decem praedicamenta negare audeat . Impudentis & tribunicii concionatoris conviciis commotus , & se jam digito a populo demonstrari videns Valla , publice libello proposito , se in templo primario ea , quae privatim nunc loquacissimo , tunc obmutescenti Monacho probaverat , propugnaturum edicit , die indicto omnibus , qui secum congredi vellent . Ecclesiasticorum vero artibus interdicta hac disceptatione , Valla religionis temeratae & impietatis reus ad horrendum illud Ecclesiae tribunal , vel ut ipse vocat , Pontificum & Phariseorum ,  
sub

sub Caipha , sive Episcopo Alesano , Judaicum consilium , rapitur : Ibi de quibusdam religionis capitibus , & inter alia ab Alesano praefule , de decem praedicamentis , quasi de decem a Moysè proditis praeceptis ageretur , interrogatus , in praesentissimum vitae periculum devenit . Et nisi Alfonsi , Regis Neapolitani , & magni eruditorum Maecenatis auctoritas , & ipsius ad acerbissimi supplicii conspectum deficientis confessio , se credere quidquid mater Ecclesia jubet , periculo eripuissent , libertatem & confidentiam eruditio- nis ultricibus flammis expiasset . Effugit quidem , tamquam ex incendio , ex hoc judicio , sed ambustus , & per totum orbem ut divini nominis hostis , impius & atheus a Clericis notatus , vi- tam diu trepidam & obnoxiam traxit ; multis etiam calumniis ab aliis eo tempore eruditionis laude florentibus , oneratus . Quippe multi ejus gloriae invidebant , alii ejus acerbitatem vix ferebant : alii suspiciones ex humanitatis studio suscep- tas , inimicitias cum Valla professi , extinguere cupien- tes , rationes a Papa ejusque ministrorum caterva se- junctas habere nolebant . Inter Vallae juratos inimi- cos nomen quoque professus erat Poggius , contami- natae vitae & sermonis non admodum puri nugator : cuius invectivis & calumniis cum non minori aspe- ritate

ritate Valla respondisset, & omne acerbitatis virus, quod Poggius in eum evomuerat, duplicitum refudisset, vocatus fuit in probabilis magis impietatis suspicionem. Flagitiosus enim ille criminum artifex, inter plurima probra, Vallam in convivio quodam in aurem alicui dixisse, *se certiora in Christum spicula reservare*, confidenter adfirmaverat. Mendacium vero hoc ab improbo delatore, sive ab Antonio Panhormita, qui supra mensam id sibi Vallam in aurem dixisse ferrebat, confitum, & nullo teste firmatum, fidem non facile invenisset, propter notas omnibus & toti aulae Regis Alfonsi testatas, Poggii & Panhormitae cum Valla inimicitias & rixas, nisi auctoritatem his spurcissimis vitae & calami opprobiis commodaſſet vir gravis & eruditus Jo. Jov. Pontanus. Sed praeter aemulationes & invidiam, inter illos, qui in aulis Regiis potentiae student, Vallae iniquior erat Pontani animus, qui alumnus & discipulus Panhormitae, ejus gratia & suffragatione ad honores amplissimos erat electus, & ubique homini huic semidocto turpiter adulatus, idonei testis gravitatem habere nequit: temere enim Panhormitae fidem habens, Vallam hac nota apud posteritatem insignire non erubuit. Quid vero tu-

ti

ti usquam supereft? quid candidis & simplicibus viris non extimescendum, si ne inter vina quidem & sacra mensae, liberius & hilariter effusa verba periculo careant: si ne auribus quidem convivae adsidentis commissa, a memore compotore, peste & pernicie omnis consuetudinis & familiaritatis, celentur, sed in vulgus sparsa, unius proditoris & obtrectatoris, immo manifesti hostis fide, in exitium innocentis congerronis divulgentur. Discite, Auditores, ex uno hoc crimine & exemplo, quid non malitia, & calumniandi cupiditas, si unius modo invidi & aemulatoris adcedit auctoritas, efficiat, quae recte & prudenter dicta in infamiam & perniciem auctorum detorqueat. Non enim in Christum spicula se parata habere, sed in Hieronymum, vel quicumque versionis popularis auctor fuerit, se multa animadvertisse, Valla dixerat, & collato cum illa versione Graeco divini foederis codice, non deesse sibi tela & arma, quibus indisertum & inelegantem interpretem, cuius summa est in regno Papali auctoritas, jugularet. Nec vana jactasse, sed rebus, quod verbis minatus erat, praestitisse, posteritas judicare potuit. Erepta omnium fere manibus sacrata, quibus salus nostra continetur,

volumina, ad veterum exemplarium fidem castigata, & cum interprete illo collata, in vulgus edere decreverat; sed nescio quo casu, an metu praesentis discriminis (certa enim Dei oracula legentibus & divulgantibus merces mors manebat) an amicis dehortantibus, an morte occupatus in lucem non produxit. Sed tamen prima haec eruditionis sacrae pericula interire non est passa Dei benignitas. Collationes enim illae quum in magni Erasmi, qui neminem nisi barbarum (Panhormitam forte innuens) Vallam odisse, praedicare solebat, manus devenissent, non modo cum eruditis communicavit, sed omni Valliani nominis invidia, & monachorum clamoribus pro nihilo habitis, tanto eloquentiae adparatu, & fide pietatem & eruditionem Vallae vindicavit, ut post eum non alio defensore indigeat. Accenseamus tamen huic patriae nostrae lumini, alterum, nec minus lucidum, Academiae quondam hujus fidus, G. J. Vossium, qui rempublicam literariam non minus Vallae, quam restitutam Camillo Romam debuisse, jure pronuntiavit. Sed ad Erasmi & Vossii auctoritatem frontem quosdam adducturos suspicor, qui hos quoque perversarum de religione opinionum suspectos testes refutabunt:

Gram-

## O R A T I O.

27

Grammaticos dicent, nimiumque humanitatis studiis inquinatos fuisse, quam ut eorum judicia, de Vallae impietate & contemtione religionis, praejudicatam opinionem vincere possint. Si qui ergo Poggio calumniatori, aut Panhormitae proditori arcani sibi commissi, quam Erasmo & Vossio fidem habere malint, irascantur & maledicant Flacio Illyrico, immo hujus Athenaei celeberrimo quondam lumini Fr. Spanhemio, qui inter obscuros & ignorabiles quosdam veritatis in media caliginis nocte testes, & praecursores, qui Antichristi regnum labefactarunt, Vallae celeberrimum nomen adscribere non dubitaverunt. Hoc solum peccantes, quod non inter professos & apertos hostes, immo duces & antesignanos, in prima eum acie collocarunt; quippe quem non modo dominationis importunae munimina convellisse, sed Papam & ejus adseclas Pelagiani erroris convicisse, & salutem non meritis, aut voluntati nostrae, sed soli divinae gratiae acceptam retulisse, adfirmant.

Sacerdotum quidem, & qui iis turpiter adulabantur, iras provocasse Vallam, nemini jam mirum accidet, qui & hujus libertatem & stili acerbitas, illorum vero ulciscendi injurias libidinem moverit. Juris consultorum vero odia insignem

D 2

Gram-

Grammaticum meruisse, merito quis miretur. Sed ad hodiernae moderationis & politioris doctrine rationem non exigenda illius seculi juris studia, nec, si non aureae, certe argenteae etiam nunc hodie disciplinae, plumbea illa ruditatis & vilitas comparanda. Juris consultorum nomina prae se ferentes, omnium bonarum artium rudes, ipsius linguae, qua jura sunt condita, ignarissimi, humiles & abjecti Papae & clericorum adulatores, ad summas tantum opes & potentiam contendebant. Nihil ergo legulejorum & rabularum, qui Ecclesiasticis obsecundabant, clamores & convicia memoriae Grammatici nostri officere debent. Commoverat vero ille facilem Gothici & Barbari Juris Antecessorum bilem, quod nihil magni in exili & tenui juris scientia se deprehendere, & Ciceronis exemplo, si stomachum moverent, non modo triduo juris consultum fore, sed triennio meliores & utiliores in digesta glossas Accursianis conscripturum, gloriatus esset. Responsum tamen, non dictum erat, & convictione (quale nuper ab inconsulto quodam Thrafonie recoctum audivi) illorum Juris consultorum, qui vix quintam juris partem intelligentes, Eloquentiae studiosos in jure civili doctos evadere posse, stulte & falso negaverant, repositum. Ut vero

vero rebus ostenderet, nihil facilius esse, quam cum talis notae Juris consultis in arenam descendere, Bartolum, principem ea aetate Juris prudentum, qui de *Insigniis* ( ipso libri indice barbariem praferente ) & *armis* futilem libellum ediderat, adripuerat, & illum omnia fatue scripsisse, Asinum, non hominem loqui, ostenderat; Tyronem etiam, Ciceronis libertum doctissimum, si Bartolum servum habuisset, numquam eum libertate dignum judicaturum, vere quidem, sed acerbe pronuntiaverat. Rectum enim de ejus seculi infelicitate & ignorantia fuisse judicium melioris fati, & literaturae politioris, Juris prudentes agnoverunt, & quum Legum & Juris antiquos conditores insignibus & meritis laudibus ornaverit, sui seculi luctulentos commentatores pro fatuis & afinis Vallam traduxisse minime indignati fuere.

Non minoris invidiae & obtrestationis cucullato gregi materiem praebuit deinceps Domitius Calderinus, qui aetate nondum matura in amplissimo Romae theatro, quod inconditis Aristotelicorum argutiis, Thomae & Lombardi nugaci loquacitate personare confueverat, Poetas & antiqui aevi scriptores primus explicare instituit. Cujus recitationes, novitate magis quam doctrinae excellentia cupiditatem audiendi hominibus inji-

ciente ; tanta auditorum frequentia & concursu, etiam primiorum virorum, florebant, ut, desertis monachorum ludis, haec sola celebritas ad odium grande conflandum sufficere posset. Exacerbabat vero calidus juventa, & successu ferox, Grammaticus Ecclesiasticorum iracundiam, quod superbe & insolenter ruditati eorum inludens, paedagogos & insulso ex hoc grege adolescentiae corruptores, fastu & arrogantia singulari prae se contemneret. Discipulos vero inusitatae doctrinae illecebris, non modo ab eorum scholis abduceret, sed admonitionibus familiaribus & exemplo suo ab ipsis sacris abalienaret. Quae cum omnia ad scenicam ostentationem & pompam, non ad divinae majestatis horrorem & reverentiam adparari videret, infrequens admodum ad ea celebranda occurrebat. In primis autem efferabat sacrificiorum rabiem, quum periculi admonitus ab amicis, qui nemini sine impietatis suspicione, nominis infamia & vitae discrimine ab illis abesse licere ostendebant, tandem molestis eorum expostulationibus victus & expugnatus, exclamaret, *Eamus ergo ad communem errorem.* Quae vox ejus memorabilis a circumstantibus excepta, eum non quidem ex animi sententia, sed obsequio familiarium, ejus  
vitae

vitae timentium, ad matutinos illos ludos & theatralem, ut Barbari vocant, Missam descendisse evincit, sed inexpiable ipsi odium concitavit. Discipuli vero ad exemplum magistri, & alii deinceps literarum cultores, quum negligentiae concionum plebejarum, & ceremoniarum, Histrionum & symphoniacorum choragiorum ridicularum, hoc ejus dictum praetenderent, & quoties ad templa commeare compellerentur, proverbii instar usurparent, & quotidie ingeminent, *Eamus ad communem errorem*, omnes humanitatis professores hac impietatis labe adspargendi, caussam praebuerunt.

Simili infamia & invidia flagravit quoque Fr. Philelfi procacitas, qui quum celebrem inter minores fratres Bernardinum quemdam, quem facundiae & sanctitatis opinio deinceps inter divos retulit, verba pro concione facientem audivisset, aculeato quodam dicto ita pupugisse dicitur, ut ex eo omnem Praedicatorum ordinem non in se tantum, sed in universos literatos armaverit, qui ex eo studia humanitatis publice privatimque insectari non destiterunt. Eodem Fraterculorum odio & malignitate flagravit seculo disjunctus Buchananus; quum enim Francisci sodales, quos in maledicendi palea-

laestra exercitatos, & bestias natura feras & im-  
placabiles vocat, mordacissimis carminibus lacerat,   
in se omnes concionum aculeos destrictos sae-  
pe fuisse, querentem legimus.

Difficile quidem fuisse, fateor, tot quotidie  
oratoribus & scriptoribus ridiculis & fatuis oc-  
currentibus, satyras non scribere, quae avidis-  
sime a vulgo acceptae, in summam contemtio-  
nem sacerdotes adducebant; sed inde efferatos  
eorum fuisse animos, minime mirum videri debet,  
quum altius haec petulantis linguae tela in eo-  
rum pectora descenderent, quam si flagitorum  
& scelerum reos se apud judices peragi vidis-  
sent. Vulneratas etiam ab inconditis sonis in-  
fanarum concionum, humilitate sententiarum, &  
verborum vilitate contaminatissimarum, aures  
referentes bonarum artium studiosi, etsi ejuran-  
di stulta & impura sacra animus & audacia  
deessent, non poterant tamen a cachinnis & san-  
nis se cohibere. Adunco etiam nafo hos ridi-  
culos sacrorum ministros suspendentes, com-  
moto semel stomacho, tam foeda religionis op-  
probria fabulis & festivitate narrationum divul-  
gare non cessabunt. Quae vero alia tuendae  
existimationis via publicae ignominiae & risui  
expositis patebat, nisi ut hi homines sine hu-  
ma-

manitate, sine ingenio & literis, qui cum mor-  
daci bus his censoribus & derisoribus paria face-  
re non poterant, ad calumniandi facilitatem,  
solitum indoctis subsidium, se converterent; &  
omnia a Grammaticis in hos tenebriones dic-  
ta & scripta, & linguae liberioris tela, non  
in se, sed in scripturam a Deo dictatam, in  
divinae mentis interpres & ministros, im-  
mo in ipsum Deum a Gigantea hac cohorte  
emitti & intorqueri, impudenter mentirentur.

Ex eodem illo lutoſo & impuro fonte, con-  
tumeliae & probra in ſumnum literatorem,  
Poëtam & criticum Angelum Politianum fluxe-  
runt. Huic domum Mediceam omnem ex literis  
reſtitutis ſplendorem, ſapientiae ſacrarium, mu-  
ſeum, bibliothecas & politioris doctrinae ſcholas  
inſtituendi conſilium debere, fatis conſtat. Sed  
& in hunc, licet ſacris quibusdam initiatum,  
& divinas populo literas pro concione enarra-  
re ſolitum, eadem fastidii & contemtionis oracu-  
lorum divinorum calumnia, & ceremoniarum  
publicarum deſpectio a monachis & pinguioris  
Minervae ſacerdotibus eſt renovata. Ipſe qui-  
dem fatetur, ſe ſui temporis ſacerdotum con-  
ciones non niſi explorabundum obire, & con-  
temptim audire, ſed simul etiam ſumma cum

E admi-

admiratione facundissimi Viri Mariani Genazanensis, canoram vocem, verba electa, grandes sententias, nihil impeditum, nihil inane, (& quae plura de oratore illo potente addit,) nec semel, sed saepius, cupidissime audivisse. Unde cum judicio usum, nec sine ullo discrimine, quae est fictae & simulatae pietatis consuetudo; ineptos, indoctos, & sola garrulitate plebi placentes, & doctos & disertos audire consuevisse, facile colligitur; Neglexisse vero, vel cum contemptione audivisse Magistros Ecclesiarum qui credunt sibi jus esse in homines vitae & necis, & ita intemperanter potestate abutuntur, ut numquam supercilium, numquam paedagogi vultum & verba illa tetrica deponant. Sed graviora eum impietatis indicia premebant, & jactasle vulgo ferebatur, sublimia illa & a Deo ipso Davidi inspirata cantica, prae Pindari odis sordere; Vatum & Apostolorum libris semel per omnem vitae cursum inspectis & lectis, numquam se pejus otium collocasse, profiteri ausum. Bembo etiam, primi ordinis sacerdotibus deinceps adlecto, perpolito omni disciplina liberali, unico nitoris & eloquentiae vernaculae & Latinae exemplo, a sacri codicis usu & lectione abhorrentem animum olim invidi aemu-

aemulatores objecerunt, & post ejus fata memoriae ejus exprobrare perseverarunt. Divi Paulli epistolas eum derisisse, easque injurioso vocabulo, *Epistolaccias*, id est grandes, nugaces, & nihil adpellasse, & ne stili mundities aliquid labis contraheret, ab omni sacrorum monumentorum lectione abhorruisse, jactaverunt. Quae in illustris & principis literatorum ignominiam conficta fabula, quo colore & veri specie cum altera, ex eadem officina profecta, congruere possit, doceri velim: vulgo enim fertur, & apud literis inimicos facile fidem invenit, commentitia quaedam narratio, quae tamen ipsa satis paratum & instructum a sacri codicis armis Bembum fuisse probat. Narrant nobis inter sermones cum Leone X. habitos, nescio qua disceptatione orta, Bembum, ut suam sententiam firmaret, quaedam ex Euangelio verba produxisse; subridentem vero Papam respondisse, *Fabulam illam de Christo sibi & Cardinalium collegio admodum lucrosam & fructuosam fuisse*. Quod dictum nescio a quo temere divulgatum, & quantum hodie certe constat, unius tantum, & professi Paparum hostis fide suffultum, cupide ab omnibus, qui a Romana communitate desciverrunt, acceptum, & ad nostra usque tempora

pervagatum, Bembum tamen, contemti & non lecti Euangelii crimine absolvit. Piis vero his, vel potius impiis, fraudibus facile auctoritatem commodare solent diversarum partium conditores, qui inanes & incertos rumores pro facto & comperto habere, religiosum & sanctum esse credunt. Immemores plane, his dictis & factis eodem non modo jure fidem haberí, quo attribuitur, sed non minora conviciorum, & turpiter dictorum factorumque plaustra in emendatae doctrinae adsertores Romae congeri: nec modo par pari reddi, sed ingenti mendaciorum cumulo vitas nostrorum antistitum onerari. Multa ergo, ut cauſſae, quam quisque tuebatur, inservirent, ab utriusque ſectae auctoribus, dubia, incerta & falsa circumferri, aut si quid libere & temere, in conviviis aut circulis inter amicos ex ore literatorum excidisse prodatur, male narrando depravatum fuisse, judicemus.

De Bembo equidem & ejus ſectam sequentibus fatis conſtat, totos ſe ad unius Ciceronis copiam & nitorem composuisse, ſed non ideo a purioris religionis monumentis, aut a Graecis divini codicis exemplaribus alienos, ſed tantum a plebejo illo interprete evolvendo & verſando abhorrente, ſe non diſſimulante, efficietur.

Quae

Quae enim labes aut contagio ex Graecorum voluminum usu in Latini sermonis elegantiam serpere aut transire potuisset? non magis quam ex Herodoti, Thucydidis & aliorum Historicorum & Oratorum quotidiana lectione. Sed indignabantur viri eruditione insignes, non modo cujuscumque linguae interpretibus populo interdici, sed ipsorum eruditorum manibus, divini foederis Graecos codices eripi & extorque ri. Ipsos sacrorum Antistites & sacerdotes, ne lumine literaturae & doctarum linguarum intelligentia ad veritatis fontes aditum quaererent, versione illa populari adstringi & adligari: quae cum seculi sui faeces oleret, nihil miri, nihil impii, si male se otium in illa vel semel evolvenda posuisse, profiterentur, & quererentur. Nec magis illis impietatis nota inurenda, quam qui precum quotidianarum formulam, a Christo Apostolis praescriptam, male in vernaculum sermonem versam, Graeca, ut nobis relictā est, ad Deum lingua (quod insignem nostrae aetatis criticum factitasse novi) adlegare solent. Majori vero haec specie a me adfirmari sentiet, qui sciet, ne ipsum quidem Politianum, haec de interprete illo inter amicos dixisse, sed de diurnis, quas vocant, horis Canonicas pronuntiasse,

quas nemo, non dico elegantiae studiis perpolitus, sed ne ipsi quidem Canonici, quibus adscriptus erat Politianus, cum voluptate versant & ediscunt, sed ingenti cum nausea & taedio quotidiana cantilena & clamore emugire coguntur.

De Pindari vero sublimiori spiritu, & oda-  
rum prae Davidis canticis excellentia, in fini-  
stram partem ejus opinationem a sacerdotibus,  
in hoc admodum pronis, acceptam fuisse, sacra-  
mento contendere auderem. Nihilque eum dixisse,  
nisi quod omnis aëvi Poëtarum, apud varias gen-  
tes nobiliorum, intelligentes quotidie adfirmare  
non erubescunt: Thebani nimirum vatis fer-  
ventem & profundo ore ruentem, nulli aemu-  
lari facilem, & supra humani ingenii vim, &  
nubium tractus multa aura levatum spiritum,  
non quidem materia carminum (hoc enim o-  
mnem impietatem superaret) sed oestro illo &  
furore Poëtico, nulli nisi Davidis entusiasmo  
conferri & comparari posse. Si inde jam Po-  
litiano, & innumeris aliis Pindari admiratoribus  
aeterna impietatis nota imprimi debeat, quid  
Zuinglio, quo nemo citius monachales illas for-  
des eluit, & inter vasta & ineluctabili caligine  
oppressos Helvetios humaniores artes & sacra  
Christi-

Christiana purgavit, factum fuisset, si in Italia, audientibus sacerdotibus, illa, quae legimus hodie, de Pindari non modo divino spiritu, sed de sanctitate morum, & quodam de unico & vero Deo sensu, pronuntiasset. Hic enim quum eruditissima, sed hodie fere ignorata, praefatione Pindaricarum odarum novam apud Helvetios editionem commendaret, ausus fuit de vatis hujus excellentia sententiam ferre, quam hodie, non dico Theologus, sed ne Poëta quidem sine ira & offensione pontificum proferre audebat. Pectus eum habuisse, adfirmat, veri, sancti, & honesti studiosissimum & incoctissimum. ut Poëtam de Diis magnifice quidem locutum, sed non de vulgo & multitudine eorum magnifice sensisse. Unicam saepe divinam illam & coelestem vim, plurium Deorum sub adpellatione indicasse, eadem, qua Hebrei, ratione (Zuinglii, non mea verba auditis) Elohim Deum unum nominant, & Latini Camillos, Cicerones & Fabios, pro Camillo, Cicerone & Fabio jactant. Sed ne singula memorabilis istius praefationis enarrem, post invidiosa in Pindarum congesta praeconia, addit, nullum Graecorum Auctorum sic prodeesse ad sacrarum literarum intellectum, atque Pindarum: praesertim, si Hebraeorum abstrusissimas cantilenas (quales sunt Psal-

## O R A T I O.

Psalmi , Jobi carmina atque aliae hinc & inde numeris ligatae laudes ) penitus perspectas habere cupiamus. Nec hoc magno opere exagerare contentus , in sui seculi jam emendatae religionis concionatores invectus , haec linguae objurgatoriae fulmina emittit : sublimia haec sacrae Poëseos monumenta frigide & jejune eos enarrare , loqui de rebus , quas strenue ignorant , & reprehensos quod exponant populo quod non intelligunt , fingant quod exponunt . & si non docte , pie saltem verba Davidis non intellecta , explicare se caussari. Commentarios praeterea immanes scribere , quibus , ut triduani Graculi , sanctissimis Hebraeorum Poëtis sensus , ab eorum mente alienissimos , extorqueant ; denique , Pindarum unum plus ad Hebraeorum scripta investiganda prodesse , quam omnia omnium Graecorum & Latinorum monumenta . Quis solius , qua vixit Zuinglius , aetatis , & non insequentis temporis , & hodierni quoque faciem describi , sentit ? Quis hodie talia ex ore Theologi , & religionis emendatoris profluentia non cum aliquo horrore audiret , & tam garrulum Pindari laudatorem non majori invidia ( ut Romanae curiae antistites hanc labem Zuinglio imposuerunt ) coeli januam gentium Phi-

Philosophis & Poëtis aperuisse calumniaretur, & Erasmo consentientem, qui sanctum Socratem imploravit, omni vi & contentione criminibus obrueret, & ad Ecclesiasticos conventus reum ageret. Ite nunc, imperitissimi Poëtarum, & ipsius divinae artis judices, & maledicendi libidini non moderantes, in tam doctum, tam sanctum Theologum omne malitiae virus effundite. Tacete vero, Politiani & literatorum calumniatores, vos in primis tacete, qui numquam tam sublimis Poetae lectione & meditatione in admirationem abrepti (vix enim nomen, ne dicam carmina, audivistis) quid ad coelestem & a Deo inflatam Davidi Poësim intelligendam, Deorum etiam falorum, Regum & Hieronicarum laudes, & audaces illi dithyrambi faciant, didicistis aut experti fuistis. Ite vos quoque, indocti & ridiculi Pindaricarum odarum apud Francos obtrectatores, & cum illis inepti aemulatores & illiterati interpretes, striduli & humi repentes Poëtastris, qui ne sex quidem versibus, iisque languentibus & frigidis, unum Pindari complecti, verborumque ejus vim & pondera exprimere calletis. Sed a doctoribus vos popularibus, & in primis a Boilaeo & Massievio, acerbissimo sale defrictos, Europae literatae deridendos relinquamus Lau-

F demus

demus potius candidas & simplices animas ; quae de Christianae etiam eloquentiae corruptoribus & Gothicæ Barbariae reliquiis , idem quod olim Cicero de Livii Andronici fabulis dixit , non dignas esse quae iterum legantur , ex animi sententia pronuntiarunt. Admiremini constantiam , & linguae piae & veracis libertatem , qua nationis ignoscere & parcere nesciae , non crabrones , sed tortores & carnifices excitare non dubitaverunt. Fortius certe & generosius , quam qui ex tuto & occulto tela minus nocitura in nugas Pontificias emiserunt.

Tempore & patientiae vestrae ratione ab enumerandis magno numero calumniis , quibus deinceps alii rei literariae adsertores & vindices pressi & vexati fuere , abstinere cogor. Erasmi tamen civis nostri memoriam praeterire , religio foret : Quae non maledicta , probra , infidias & pericula , domestica illa urbanitas , & gentilis jocorum mordacium , in quibus excellebat , festivitas , experta fuit ? Paucos inter nos trates reperiri scio , qui non in Colloquiis ejus , fellis & salis plenissimis , rudimenti puerilis tyrocinia deposuerint , ideoque illum non sine causa Papalis dominationis satellitum & monachorum odia capitalia meritum ignorent. Sed ne

con-

congerendis in acervum conviciis , tristibus & atrocibus Academiarum & coetuum Ecclesiaſticatorum ſententiis , moleſti evadamus , quam parca & parum ſincera laude a popularibus etiam ejus eruditio & in Eccleſiam merita hodie celebrentur , doleamus . Qui mitiſſime de eo ſentiunt , Arii ſectatorem , qui gravius opinantur , indifferentem & nulli parti addic tum , Lucianum , omnium religionum irriſorem , in terras reducem , immo Atheum per vulgi ora traducunt . Sed quum tanti viri ad noſtra uſque tempora pluri mi inter eruditos cauſam egerint , & nuper etiam egregie ejus fama fuerit vindicata , hoc unum de hoc urbanitatis Batavae fonte , ſine oſfentionis metu , hodie adfirmabimus , fruſtra Lutherum & Calvinum laboraturos fuiffe , niſi facetiis ſuis & ſalibus , quibus ſacerdotes , monachos & concionatores ſui aevi contemtioni & derifui exposuit , Erasmus viam illis pronam & facilem praemunivislet .

Scaligeri , cui communia doctorum suffragia regnum in literis detulerunt , & Dousae nomi nibus & religionis opinioni offecit , quod in Poëtas venae impurioris & sermonis nimis Latin i , commentati fuerint : aliorumque , quos longo ordine plures & olim & nuper exſtitiffe novi-

F 2 mus ,

mus, quod per eorum vestigia incedentes, manum a gentium impiarum licentioribus carminibus, quae nec legi nec intelligi Christiano fas foret, non continuerint, pietati diligentiam hanc turpem & supervacaneam nocuisse, scimus: in quorum patrocinio, quod alias suscepisse memini, nunc tempus sensim jam effluens non perdam. Eluatur, quaeso & obtestor, injuste saepe memoriae magnorum virorum, ex credulitate stulta & calliditate pia imposta & inveterata labes, & si quid licentius, & immodestius ex eorum ore aut calamis profluxerit, ingentibus in doctrinae studia meritis condonetur. Si quid est ingenii; si quid eruditionis & eloquentiae feliciori hoc aevo, per hos & alios literarum cultores, ex thesauris & armamentariis vetustatis, divinae scientiae Mystis accesserit, in ignorantiae potius defensores, & turpem nebulonum gregem tela & arma depromant. Fulmina & tonitrua linguae objurgatricis in corruptissimae Ecclesiae principes, qui in tanto literarum splendore & Historiarum omnis temporis lumine, regibus, magistratibus & populo inludunt, & noctem iterum diei clarissimae inducere conantur, & ipsam religionem ejusque mysteria risui & joco exponunt, ejaculentur.

Hos impios , divini & humani juris perfractores , societatis civilis & sacrae pestes & labes , usque dum rumpantur , vociferentur. Favemus libenter & voce & manu adplaudemus , si modo non monachorum partes agentes , in ipsas literas , & immeritam Grammaticorum nationem calumnias vetustate contritas & obsoletas recoquere perseverent. Dabimus etiam ultra & liberaliter , procacia & ad licentiam dicendi & scribendi justo proniora saepe ingenia modum non servasse. Non negabimus , debuisse fastidiosam nimis & acerbam censuram , intra monachorum irrisio nem consistere , nec aciem , in propudia illa Ecclesiae hebetatam , resingi in renatae & purioris veritatis praecones ; qui vix e Pontificiis sordibus emergentes , ne cum omne lutum adhaerens excusserant ; & cum ex monasteriorum tenebris erumpentes , non magnum elegantioris doctrinae usum haberent , facile apud aequos judices stribliginem & ruditatem , ardore religionis , multitudine laborum , qui ad has humiliores disciplinas descendere prohibebant , excusare debuissent : sed non ideo mansuetudinis & patientiae Christianae magistri , propter paucorum proterviam , in ipsas artes liberales invehi , & nimis temere ad antiquas sacrificul-

rum artes relapsi, crimen impietatis, quod maxime apud plebem valere norunt, literatis referre debuissent. Sed bonum factum! non eamdem omnes insecuri temporis antistites viam jam contritam & communem ingressos fuisse gaudemus, quorum aetas puerilis, artibus ingenuis informata, magnum inde adparatum & splendidam supellestilem ad divinae mentis Oracula, & sublimioris doctrinae mysteria illuminanda & exornanda comparavit. Hi debitam praeceptoribus gratiam referentes, Poëtas & Oratores suo semper pretio aestimarunt, & apud Eloquentiae & Historiarum professores depositis variae eruditionis rudimentis, inter ipsos suae disciplinae antistites, ut sidera, emicuerunt; maledicendi vero & in literatos antiquata convicia evomendi licentiam, a nebulonibus scholasticis exortam, viliori sacrificiorum turbae, ut imperitiae & impolitiae hereditatem reliquerunt.

De Zuinglio, cuius eruditionem & candorem modo laudavimus, ne plura pro tempore nunc addam, principem mihi suae aetatis Theologorum, & purioris doctrinae adversus patrimonii Christiani eversores acerrimum propugnatorem, Joh. Calvinum diligentius, quaeso, considerate. Hic a tenera aetate tota men-

te

te in excolendas elegantioris disciplinae artes quum incubuisset, ea jam, speciminibus variae doctrinae editis, incrementa ceperat, ut, si hoc unum agere voluisset, Budaeis, Turnebis, Lambinis, & quibuscumque inter populares literatoribus dubiam palmam facere potuisset; sed majore impletus spiritu & agitante Deo ad divinae scientiae cultum, magno cum Ecclesiarum emolumento, abreptus fuit. Tanta hic literaturae copia & adparatu, stili & dictionis munditia, eloquentiae vi & divitiis, sacra studia ornavit & locupletavit, ut Ciceroniana facundiae aemulos & adfectatores in stuporem raperet. Italis & Gallis Theologis, prisco squalore etiam nunc obfatis, non modo mundior & splendidior, sed illustri Sadoleto, qui inter cultioris sermonis antistites mira cum moderatione sacra tractabat, eloquendi & ornandi gratia & vi minime inferior, cognitione vero veritatis & religionis Christianae intelligentia longe praestantior & excellentior habebatur. Legant mihi, quaeso, humanitatis & literarum obtrectatores, incomparabiles hujus viri Religionis Christianae Institutiones, & omnibus artis oratoriae numeris absolutam ad Franciscum I. praefationem; & negent deinceps, nihil ad veritatem vindicandam,

dam, nihil ad emendatae religionis castitatem,  
& ceremoniarum sanctitatem, ingenii politioris vim,  
doctrinae variae ubertatem, verborum elegantiam & sententiarum pondus, conferre. Insufficientur jurati eloquentiae humanae hostes, & ad sensum communem obbrutescentes animae, nulla sermonis suavitate, nullo pigmentorum colore & floribus, nullis blandae linguae vel calami illecebris & lenociniis hominum mentes ad perscrutanda & intelligenda religionis sanctissimae capita, adduci debere. Si domestici testimonii auctoritate mihi liceret uti, Avi mei, Abrahami Heidani, cuius suavissimi, facundissimi & artibus liberalibus exultissimi, addo etiam facetissimi, senis memoriam apud Leidenses nondum exolevisse nobis gratulamur, memorabile dictum celebrarem; quem lectis & relectis Calvini institutionibus, tum demum Theologum, & verba Dei pro concione enarrandi peritum se fuisse factum, saepe inter amicos praedicasse accepi. Deploremus ergo inficieti hujus seculi infelicitatem, & nova semper antiquis praferendi cupiditatem, & ingratam, erga principem correctorum vitiosae Ecclesiae memoriam, posteritatem incussemus, quae non modo e scholis & Academiis, sed ex mu-  
feis

seis quoque iisdem sacris operantium tanti herois scripta ita excussit , ut penitus jacere & vix esse vendi videamus. Indignemur pro limpidis ex vivo Dei fonte rivis deductis , nescio quae compendia , systemata , & medullas , inepitiis Scholaisticorum , Peripateticorum argutiis , Logisticorum & Dialecticorum partiendi & definendi spinis & veribus horrida & hirsuta , tyronibus obtrudi. Utinam dum altius sapere contendunt , jejuni & exiles plebis doctores , qui eruditionis laude se sapientioribus commendare nequeunt , pietatis & morum emendandorum fervoris specie , nescio quae mysteria fingendo , & exponendo quod non intelligunt , extra oleam , ut Zuinglius dicebat , & ut sutores supra crepidam , se non efferrent ! Utinam denique , non mucidis cærulei & surfuribus consparsi panis frustis , vili & canino cibo , stomachum onerare , quam candido & filigineo polline colorem & sanitatem parare , praeoptarent !

Ne tamen unico Calvini ingenio & eruditione initia purioris religionis gloriari putetis , adjutorem ipsi fidissimum & collegam Theod. Bezam , terrorem & fulmen Papisticae aciei , consociemus . Omni ille humanitatis adparatu , di-

cendi gratia & adcommodata ad varios animorum motus oratione, linguarum eruditarum intelligentia, critici acuminis praestantia, Poëtices etiam suavitate & modulatione, tam instruetum ad muniendam veritatem pectus, tam armatas ad prosternendos hostium exercitus manus adtulit, ut solus Episcopo Romano dignus adversarius & par cum eo bene comparatum, etiam infensissimis pietatis hostibus haberetur. Tales & tanti constituendae rei Christianae Duumvirī aurum & gemmas ex ditissimis felicium ingeniorum venis eruere docti, numquam juventuti Academicae, aut populo imperito faecem & lutum propretiosi metalli medullis venditabant. Discipulis & auditoribus non facilem ad celebritatem nominis, & magnificam de se plebis extremae opinionem, saepe etiam ad onerosas pietati divitias, patentem viam, ex ficta morum austernitate, & seriae magis disciplinae, ad fugam laboris & desidia deverticula ducentis, simulatione, aperiebant. sed in continua divini codicis meditatione, in lectione sacrorum simul & profanorum auctorum, in politioris doctrinae cum divina scientia consociatione, omne tempus ponendum, admonitionibus & exemplo doccebant. Non studiis divinis sacrato cursui mettam.

ram hanc prōponebant, intra canonas & p̄scripta majorum aut praceptorum, curam & impetum cohibere, aut certis dicendi formulis publicarūm concionum complexionem circumscribere, & decurso vix medio spatio deficere & languere. Celeritatem linguae, & facilitatem illam de quacumque materia, exili etiam & tenui, ad fastidium audientium, declamandi, Raymundi Lullii discipulis relinquebant. Non oratoriae artis & eloquentiae scholas, ut sutorum officinas, aperiebant, qui paucis contenti formis, ad omnium pedes aptos & habiles calceos concinnant. sed legulejis, cauſſidicis, rabulis & agyrtis circumforaneis formularios hos concionatores adcēfendos putabant. Latinae, Graecae & Hebraeae linguae ignorationem vernaculorum interpretum multitudine & vilitate, solis furtis & plagiis nobilium, sublevari indignabantur. Hebraeorum Magistros, gentium omnium Poëtas, Literatores, Criticos, inter quos ipſi nomen profitebantur, nihil labis aut contagionis sacris meditationibus adlaturos metuebant; nec impietatis aut religio-  
nis contemtae criminacione invidiosa artium liberalium professores, a quorum disciplina nullum aetatis suae tempus abhorrere ostentabant, incusare confueverant. Talia, olim jam inciden-

tia, mox Ecclesiam pervagata, & deinde ab eorum heroum obitu validiora vitia & studii sacri dedecora, quum nec hodie nobilioris mentis Theologi corrigere & depellere queant, qui, licet communibus cum literato ordine querelis ignaviam & desidiam adolescentium defleant, nisi tamen vernaculae & compendiariae, corruptrici omnis verae, doctrinae se adcommoden, soli in scholis federent, quid sperandum elegantioris doctrinae Professoribus, a quorum disciplina, auctoritate & consilio eorum, qui studia juventutis regunt, avertuntur? nonne pueros e ludis litterariis, ut pullos implumes, evolantes, & omnem operam dantes, ut linguarum eruditarum usum & ipsa, quibus leviter imbuti fuerant, elementa obliviscantur, & e mente eradant, statim navibus & quadrigis ad subsidia pigritiae festinantes videmus? Nonne consecutos votorum summam sibi persuadent, si undique alieni corrasa laboris frusta & micas magna cum confidentia, & ingenti verborum volubilitate effundere & evomere didicerunt?

Licet longius jam, quam statueram, vestra in me audiendo benignitas orationem provexerit, multa etiam metu taedii omiserim, non possum tamen non duplicitis calamitatis, quae proximo

ab-

ab hinc seculo, post tot imposta vulnera, fundum nostrum vastabat, & radicibus evertere minabatur, meminisse. Insani primum ardoris scilicet & impetus linguas vernaculas poliendi, & in vertendis Graecis & Latinis scriptoribus infructuosae curae & laboris. Qui morbus & infania in primis Francos, & deinde, ut semper, alios populos, ineptos saepe nugarum Francicarum imitatores, invasit. De hoc tamen aestu, nondum quidem composito & sedato, nihil hodie dicere decrevi, cum quia ipsi domestici censores, severioribus studiis imbuti, popularem hanc febrim curandam in se receperint; tum quia a priscae eruditionis naufragio, & submersionis literarum periculo, quod ante seculum interioribus literis nova illa elegantia minabatur, ipsa domestici sermonis inconstantia & angustiae, interpretum stultitia, ruditas, antiquitatis ignoratio & turpissimi & pueriles errores, nos jamdudum solverint & liberarint. Ipsi quoque vernaculi scriptores non indigere videntur extraneo debellatore, cum jam dudum proprias opes inter se depopulentur. Quis enim ante quinquaginta fere annos domesticae eloquentiae unicus magister habitus, nunc non tyronibus risus, & jocus est! Quis olim in con-

vertendis Graecis & Latinis scriptoribus insignior laude floruit, qui non a novis eorumdem auctorum interpretibus, utriusque linguae notitia caruisse evincitur? denique quis non videt omnis id generis libros, ubi novitatis gratia decessit, in tabernas, ubi piper & falsamenta venduntur, migrare? Tristius vero & atrocius quiddam altera procella studiis nostris minari videbatur, mota a nova & emendatiore Philosophandi ratione & via, & ab humanae sapientiae artissima cum divina confociatione. Novi enim nuper, tamquam e coelo demissi, sapientiae melioris magistri, magna cum ambitione & pompa obsoletas Scholasticonrum nugas, & fatuas Peripateticorum subtilitates se pertaesos fingentes, & solidioris doctrinae initiiis eas commutare jastantes, e squalore & situ Divam Sophiam amabiliori facie, & illecebroso habitu reducem, Belgio primum nostro, & deinde aliis regionibus ostentabant. Hi occulti prius & non professi, sed deinde non minus certi & acres literarum elegantiorum, quas non attingebant, hostes Socratica quadam irrisione Grammaticorum nationi illudebant. In verbis, syllabis & literis excutiendis optimum aetatis florem & ingenii maturi vim consumere, an non puerilis

rilis tyrocinii conatus esset; ritus & mores veterum excutere & investigare, an non inutilis & sublimiore mente indigni laboris molestia esset, maligne interrogabant. In primis omnem illam linguarum, rerum gestarum & temporis antiqui notitiam, criticae sagacitatis & acuminis gloriam, & inde invidendi nominis celebritatem casu & occasione (quod Cartesium Salmasio in os obiectasse ferunt) tantum esse adquisitam exprobrabant. Opportunitatem & copiam librorum veterum & monumentorum gloriofos fecisse criticos & grammaticos, quae si Barbarorum, ut olim, incursio, flammorum rapacitas aut aquarum eluvies, quae tot bibliothecas devoraverunt, delerent, nudos & inopes literarum cultores sine scientia & aliarum rerum prudentia remansuros. Se vero rerum, non fabularum auctores, omnia quasi propria & a se possidere, ex interioribus mentis & naturae humanae recessibus omne, quod sciri potest, depromere, non se extra quaerere, nec de Deo & mente ex dictatis veterum sophorum (quos se ignorare pene simulabant) semper inter se dissidentium, sed ex intimis cogitationibus, speciebus & imaginibus sibi in generatis accurate & exquisite differere & disputare. Has animo insitas informationes omnium

li-

librorum vicem praestare, & verum philosophum tenebricoso cubiculo inclusum, menses continuos meditando & commentando tam tranquille posse exigere, ut vix temporis cursum, diei noctisque vices sentiret. Principia rerum & mundi, coeli & siderum motus ex universi contemplatione diligent & adsidua, & singulorum partium perscrutatione, & recens factis periculis addisci posse. Ex positis & pro certo receptis quibusdam initiis, more Mathematicorum, profecta falsa esse non posse, & ex illis, quae certa & percepta jam essent, ad illa quae non percipiebantur, sed necessario consequebantur, attendentes sine ullo erroris periculo adduci posse, contendebant. Ad has ratiocinandi illecebras & voluptatem, ad hujus compagis tam artificiose constructae admirationem, agmine facto, ut in omni novitate solet, senes, viri juvenes, matronae etiam & puellae, sed in primis sacris mox addicendi studiis adolescentes, convolabant. Ad haec magica fere mysteria, tamquam ad Circes pocula, non gustanda, sed penitus imbibenda, infinita vis hominum illiciebatur. Et quod disciplinae hujus p[re]e aliis facilitatem & praestantiam ampliabat, videres brevissimo in tempore centurias, ne dicam legiones

nes Philosophorum, quorum aliis alio acutior & sollertia habebatur, provenire, quum humaniores artes vix unum, vel saepe nullum Poetam & Oratorem, eo nomine dignum, toto sibi seculo nasci dolerent. Omnes vero antiquam Philosophandi viam tenentes, & huic sectae adversantes, nihil in naturae & rerum universitatis corpore cernentes, nullo negotio de regno & folio dejiciebant, & miserum Aristotelem, tot fortunae jam vices expertum, ad aeternas tenebras relegabant. Quid agerent in tam subita & vehementi reipublicae literariae conversione Grammatici, Poëtarum & Historicorum interpretes, qui doctrinae suae studia tam certis, tam evidenter adsumtis, initiis defici confiteri cogebantur? in solo antiquitatis obscurae & absconditae testimonio, in gravium & veracium prioris aevi scriptorum auctoritate omnem rerum gestarum fidem inniti & firmari non modo agnoscebant, sed ultro & liberaliter tam fluxam & incertam saepe reperiri dabant, ut quicumque dimidiam eorum, quae memoriae tradita essent, partem adripuisse, temere etiam plurima se credidisse, & deceptum a lectione Historicorum abire, queri posset. Jejunos ergo & falli gaudenes

H tes

tes Grammaticos, chartis & membranis, quas  
ut asini onusti ex omnibus Europae angulis  
magno sudore & impensis comportabant, im-  
pallescentes, certae & sublimioris sapientiae cul-  
tores, quibus omnia domi nascebantur, merito  
deridebant. Postquam vero hanc de firmis &  
stabilibus doctrinae suae initiis & fundamentis  
persuasionem, & argumentorum inde conclusi-  
ones, ad divinae disciplinae societatem & foe-  
dus adjunxissent, non exquiram an simplicitati  
& integritati religionis detrimentum aliquid ad-  
tulerint (haec enim res nihil ad me) sed quan-  
ta inde odii, aemulationis, & obtrectationis er-  
ga infelices literatores facta fuerit accessio, ex-  
putari vix potest.

Incommode & permoleste etiam his tempori-  
bus accidebat, ipsa humanitatis studia multum  
de antiquo splendore & fama perdidisse: Nam  
Nam post prodigia illa ingenii & eruditionis, quae  
restitutis a Valla literis, & a Politiano & ce-  
teris instauratoribus, qui, crescente in dies indu-  
stria & diligentia, in Italia, Galliis, Germania,  
Belgio, magno numero provenerant, proiectis; post  
Victorios, Manutios, Sigonios, Budaeos, Turnebos,  
Scaligeros, Casaubonos, Grotios, Vossios, sub quibus  
quasi culmen tetigisse videbantur, more huma-

narum rerum in Salmasiis & Heinsiis consummatio studiorum constitisse judicabatur: deinceps vero sensim decrevisse & degenerasse admodum ingenia, nec falso, jaetabatur. Et actum fuisset, in Belgio certe, ubi jam dominabatur nova Dea Sophia, de omni humanitatis studio, nisi vicina & gentilis Germania, expulsae fere a Philosophis literaturae suppetias tulisset & supplementa submisisset. Nisi enim Gronovius & Graevius huic seculo contigissent, unici literarum morientium vindices, qui devias & errantes Musas in viam reducerent: & deinceps ex iudis suis, non quidem similes Heroibus illis, quos reddituros votum est, sed illorum prementes vestigia discipulos produxissent, conclamatum fuisset de optimarum artium studiis, & Theologi & Philosophi de devicto Apolline, fusis, fugatis, caesis Sororibus, illaetabilem triumphum ducere, & plenum dedecoris & risus tropaeum figere potuissent.

Quis vero non perpetuum & stabile hoc divinae & humanae sapientiae connubium auguratur? quis hoc Theologorum & Philosophorum manibus constructum & exultum aedificium, pro quo fortius & constantius, quam pro templis & aris, pectora adversantibus opponebant,

convelli posse suspicaretur ? sed admiremini , Auditores , mentis humanae vanitatem & inconstantiam , & stupete mecum omnem illam Philosophandi viam , tanta modo celebrantium multitudine florentem , nullius hodie pede tritam , sed vacuam & desertam jacere. Vidimus , vidimus ipsi , duces & antesignanos paullatim a fervore multum remisisse , & innumeros a limite illo , quem recta ducere ad veritatis aditum jactaverant , deflexisse. Vidimus de omnibus olim dubitantes , de ipsis a se positis & pro certis olim habitis principiis dubitare incepisse , discipulos aliorum , qui pertinaciter semel adsumptis inhaerebant initii , scholas certatim deseruisse , & hinc plures , in primis in Britannia , eadem libertate initia emendando , commutando , & nova ponendo , eo rem deduxisse , ut qui inter germanos Cartesianos nomen suum profiteatur , vel duo sint vel nemo. Videmus etiam hodiernae & fluctuantis Philosophiae antistites in quo consistant , nondum certos ; sed alterum alteri succrescere , qui diruendo , aedificando , quadrata mutando rotundis , in hoc solum tamen consentiunt , ut priora illa initia , ficta , falsa , & Milesiae instar fabulae inventionis & novitatis voluptate olim placentia , & pro quibus mortem

tem priores obire non recusassent, deridenda & contemnenda verae sapientiae cultoribus traducere & infamare non cessent. Gratulemur ergo nostrae humanitatis disciplinae, quae, licet & ipsa, more ingenii humani varias vices & fata subierit, & nunc quoque in luctu & squalore sedeat, semper tamen, quotiescumque recolitur, eadem & sibi constans, saepe etiam felicior resurgat. Non aliam viam Valla, non aliam Politianus monstravit, non novam Victorius, Turnebus, Scaliger, Salmasius, Heinsius & alii institerunt, sed per eadem vestigia in eodem omnes stadio decurrerunt. Nulli inter nos Manutiani, Scaligeriani, Salmasiani & Heinsiani auditi fuere, sed unusquisque omnium ante se in literis celebrium diligentiam, industriam & labores laudat & aemulatur. Naturae ipsius habitus, ingenii felicitas, mens bona & sagax, dijudicandi vis & acumen, lepor, venustas, sales & Urbanitas, Artis adsidua meditatio & exercitatio, labore continuo rerum variarum acquisita prudenter, eadem hodie sunt nostrae disciplinae initia & fundamenta, quae ab initio rerum fuerunt. Celeritas adripiendi a puer, in juvenili aetate ardor, viriles igniculi, & liberrimus mentis impetus, ratione & conformatione variae

doctrinae temperatus, & intra modum & finem coercitus, capax & avidus immensi alicujus & infiniti animus, diligenter inde excultus & expolitus, memoria excellens, & omnium custos, semper & ubique, in quacumque lingua insignes facundia Oratores, Historicos & Criticos producent. Indoles mirifica, a natura bene informata, divino quodam spiritu quasi adflata, artifici deinde manu facta & figurata, per exempla optimorum semper decurrentis, regulis & canonicibus vulgi, ut repagulis & claustris, quae generosos impetus retardant, repulsis, hic & alibi Poëtas & Vates egregios, ingeniosos & coelestes terris mirantibus ostendet. Latinae & Graecae linguae peritia & elegantia, vetustatis remotissimae intelligentia, & omnis Philologiae circuitus & comprehensio, non aliis quam olim initiis innixa, adsiduitate lectionis, commentatione, imitatione non servili sed ingenua, stili quotidiana exercitatione, & olim fuit acquisita, & in aeternum acquiretur. Si diligentia & industria languebit, cadent literae, eaedem ardore discendi & legendi, sedulitate, cura & labore renovato resurgent & renascentur. Deficiant nostro aevo, ad alias artes jam prono, Grotii, Salmasii & Heinsii, quaerantur etiam Gro-

Gronovii & Graevii, qui tenues literarum reliquias recollegerunt, ne desperemus post tot fundi nostri calamitates, post vernacularum Linguarum insana studia, post Philosophantium inconstantiam & levitatem, posteros nostros sereniora visuros tempora. Quum odium illud & sinistras suspiciones, quibus conjuncta opera nos diversarum sectarum potentia opprescit, eluctati fuerimus, quum aemulorum & adversantium invidentiam superaverimus, ad eamdem quam olim famam & nobilitatem humanitatis studia redditura confidamus. Torrenti parumper cedamus, & patienter lenociniis & ostentatione certi & veri imprudentes rerum humanarum adolescentes inescari patiamur. Ne moveant nos cavillationes malignorum, & Literatores detrectantium fictae & in vulgus sparsae voces; Grammaticis nullam mentis, nullam Dei speciem obversari. Utriusque sapientiae antistites sibi placentes jaetent, infantes nos esse & pueros, qui nihil de rebus naturalibus & divinis intelligamus, parum nos esse sollicitos de animae vi & excellentia, de corporis humani structura & contextu: securos nos vivere, quid supra, quid infra nos agatur: chartis perituris & fragilibus, voluminibus situ & senio horridis conqnirendis, reliquiis & monumentis veteris aevi pro auro & argento eruendis, semper

in-

inhaerentes, vix bajulorum & cerdonum numero habendos. Profiteamur potius & aperte praenobis ferramus infinitarum rerum, de quibus inter ipsos Philosophos non magis convenit, quam inter horologia, & de quibus nunquam forte liquebit, ignorantiam, quam ut labore aerumnoso & ingrato, corpore & mente debilitatis, & omni adolescentiae tempore, in disciplinis, pro certis & indubitatis aliquando habitis, contrito, deinceps in senectute omnia abolere et dediscere, et ad nova initia et elementa redire compellamur. Renoventur etiam, licet parcious jam et cautius, antiquata monachorum in grammaticos convicia & dictoria: nos scilicet uno & eodem ordine habere divinorum Vatum, immo ipsius Dei effata, quo Graecorum & Latinorum carmina, haec etiam saepe illis praeferre, & omne robur corporis & mentis aciem a sublimium & coelestium rerum meditatione abducentes, in corruptis & depravatis scriptorum profanorum monumentis evolvendis, illustrandis & emendandis consumere. Contemp-tim audiamus magno cum supercilio quos-dam oggerentes, quid veteres dixerint aut scripserint, parum ad sapientes attinere, aut si neces-sitas quaedam ad prioris aevi auctoritatem con-fu-

fugiendi praeter spem imponatur, eam esse hu-  
jus seculi felicitatem, ut grandi notarum &  
commentariorum mole obruti, indicibus locu-  
pletissimis instructi auctores, & Lexica omnium  
scientiarum momenta complexa, ad manum  
semper praefeo sint, & supersint. Hinc unumquem-  
que mutua sumpta, & honesto furto ad usum  
domesticum supellecstile sublata, domum So-  
craticam facili & parva impensa ornare posse.  
Non opus esse Salmasiis & Heinsiis, Grono-  
viis aut Graeviis, primorum ordinum ducibus,  
cum Minellii, Junkeri, Pitisci, & alii lixae &  
calones, magno numero quotidie commeatum &  
pabulum omni eruditorum exercitui compor-  
tent; & sparsas per millia aliquot voluminum  
fruges, plebs Literatorum, instar gerulorum &  
mulionum, in communia horrea constipet. Len-  
ti & placidi in circulis & conviviis literarum  
derisores ex nobis & aliis quaerentes audiamus,  
quid utile societati civili, quid artificibus,  
mercatoribus, militibus, nautis, quid denique  
conducibile Ecclesiae artes nostrae efficere que-  
ant? Feramus etiam specie blanda benignos, &  
qui nobis & disciplinae nostrae pree reliquis  
favere se preeferunt, amice & benevole no-

biscum expostulantes , quod non vires a Deo  
datas , ingenii & doctrinae divitias , memoriae ,  
quae vera Literaturae germana habetur , the-  
sauros , eloquentiae facultatem , ad sacrum po-  
tius codicem , ejusque obscuriora loca illuſtran-  
da , quam ad profanorum verba & diſtiones ex-  
planandas , impendamus . Quasi vero huic quo-  
que parti principes in literis nostris Viri de-  
fuiffent , & non humaniorum artium splendore ,  
multam divinis oraculis lucem adtulissent . Sed quid  
gratiae pro opera praestita , quid praemii aut mer-  
cedis pro labore Grammatici , qui se studiis fa-  
cbris immiscuerunt , retulerunt ? non aliam , ni-  
ſi quod lumina illa & ornamenta eruditioris orbis ,  
Grotios , Salmasios , Heinsios , & omnes deni-  
que , qui in haec Sacraria irruperunt , a verna-  
culis commentatoribus , & plebejis doctoribus ,  
quorum magna pars eruditarum linguarum ru-  
des se profiteri non erubescit , conviciis , pro-  
bris , aut obliquis dictis , aliquando tamen cum  
contumeliosa honoris praefatione , perstringi au-  
diamus . Nudos a pietate , veritatis & doctrinae  
sacrae inopes , mysteriis abſtrusae , symbolicae ,  
allegoricae & nescio cuius non , disciplinac mi-  
nime initiatos & ignaros Literatores , ſaepe  
dam-

damnosos in errores delabi , & si vel latum digitum a positis semel & receptis initiis , vel probata vulgo verborum interpretatione rece-  
dant , temerarios verbi divini adtrectatores , cum adversariis & sectarum conditoribus conspirare : populo facile persuadetur . Si affecta , & scri-  
barum vel operarum aberratione depravata lo-  
ca , emendare audeant , importunos & crudeles criticos urere , secare , non mederi & sanare , & ingenii protervi & temerarii conjecturas pro certissimis emendationibus venditare : ea-  
dem licentia in Vatum & Apostolorum scripta , qua in Virgilii , Horatii , Livii & omnium prioris aevi scriptorum codices , grassari jactatur . Tutius ergo , & ad bonae famae commendationem , ad vitae quietem & tranquillitatem conducibilius , a penetralibus his & adytis , ut profanos pro-  
cul ablegatos , alio curas & labores converte-  
re . Cautius & prudentius periculoso hoc & insidioso itinere vitato , vulgatam viam persequi , & in Graecis & Latinis scriptoribus illustrandis & corrigendis , pro muneris impositi religione , confenescere , & liberos a sacrae eruditionis ambitione , otium literatum sequi , quam con-  
tinuo labore , & sanitati noxiis lucubrationi-  
bus ,

bus, odium, iras, inimicitias obtrectatorum, dum vivimus, mereri, & post fata non aliud vigiliarum praemium, quam temeritatis & impietatis notam impressam memoriae sperare.

Finem jam vindicandi humanitatis studia facerem, nisi non recens, et hodie demum natum, sed quod a Calderino et Politiano jam in Grammaticos fluxisse modo indicavi, crimen breviter deprecandum supereflet. Commune cum sectarum, quae a ceremoniis publicis secessione fecerunt, auctoribus vitium Literatoribus objici solet, parcus et infrequentes Dei cultores, sollemnes et religiosos coetus raro obire. Certissimum vero reverentiae divinae et pietatis esse argumentum, in publico conventu, insigni loco, nullo discrimine eorum qui verba ad populum faciunt, se conspiciendum praebere. Constitutis et probatis publice sacris et eorum administris maximum conciliari honorem et auctoritatem, si eruditionis opinione florentes adsidue supplicatum eant, et communibus cum plebe ritibus pacem Dei exposcant. Non utar protrita illa et tralatitia praefatione, qua Epicuri de grege sodales, domi et in hortis se

con-

continentes, religionis et Deorum negligentiam praetexebant, nullam esse pietatem saepe velatum videri, prostratum ad omnes aras humi procumbere, aut ante delubra manus pandere. Neminem enim, qui inter Christianos nomen profitetur suum, sine piaculo conventus religiosos temere negligere posse contendit. Nec Politiani quoque fastidium, qui ridiculos & insulsos contemptim audire, facundissimorum vero concionibus delectari, & ad frequentanda templa se excitari confitebatur, imitabor. Minimam enim cultus divini partem, concionibus adtendere, cum multis adfirmare non pudet. Sed ut haec invidiosa criminatio in solos Literatores valere possit, videant, quaeſo, an non in eadem cauſa omnium fere ordinum homines, & illustres saepe Viros, in quorum negligentiam perorare saepe consueverunt, & qui privata religione Deum venerari malunt, esse deprehendant. Immo caveant, ne in eamdem invidiam confortes operum rapiant, quorum multi, niſi muneris necessitas domo extraheret, ejusdem infrequentiae insimulari possent; Computemus enim, & rationes cum quibusdam, qui ſaepius in cathedra, quam in ſubfelliis

conspiciuntur, subducamus: sponte sua, nec consuetudinis, sed religionis causa Literatores saepius ad aras adcedere deprehendetur. Meam vero (saepe enim hoc absenti exprobrari audio, & in os objectum memini) causam agere si huic loco aut tempori adcommodatum crederem, promta & parata defendendi ratio supppereret. Ut verbo dicam: si nihil crudelius, quam miserorum & vexatorum ab iis, qui in humili curatione in Professore ostendunt, quid majoribus rebus praefecti in aliis auderent (ex ungue enim Leonem) fortunam infectari, vulgari proverbio fertur; quid acerbius, quid amarius frequenti satis olim sacrorum cultori oggeri putetis, quam ex sede per eos, quorum arbitrium erat, adsignata, & duodecim annos possessa, ejecto & excusso, tam violentae & importunae contumeliae nunc neglecti cultus & infrequentiae opprobrium tamquam cumulum superimponi? Sed vindicata communi Literatorum causa privatae injuriae obliviscamur, & repulsae, quam ambitio mea pro recuperando loco tulit, immemor, ingratae hujus querelae simul & orationis vela contrahamus; & a jurgiis & criminacionibus, quibus nihil vel

parum

parum proficitur , ad preces potius & obtestationes descendamus.

Molliamus , quantum potest , immerito exulceratas , sed , ut spero , exorabiles gravium & sanctorum virorum mentes , & ab odio & contemtione optimarum artium ad earum amorem , cultum & exercitationem blanditiis & obsequio revocemus . Agnoscant cives & magistratus , populus & doctores , petimus & oramus , longos labores & continuas curas , quas in formandis juvenum ingeniis , per sex & triginta annos , non ad solam dictionis & orationis elegantiam , non ad rerum gestarum modo memoriam recolendam , sed in primis ad numinis supremi metum et reverentiam , ad voluminum sacrorum , salutis nostrae pignorum , honorem et usum , summa cum voluptate , nec sine aliquo , ut speramus , fructu impendere perseveravimus . Credant et sibi persuaderi patientur , non ita literarum studiis omnes inficiendos , vel ut illi prædicant , inquinandos esse adolescentes , nos judicare , ut in illis omnem aetatem perdant ; Sed ita tamen tinguidenos et imbuendos levioribus his studiis in prima aetate censere , ut deinde ex varia copia sub-

subsidia et ornamenta ad b sanctiores disciplinas comportare possint. Ex omnibus, qui me quotidie audiunt, immo ex ipsis, qui saepe submittuntur, exploratoribus (nulos enim testes refugio) exquirant, quæ nostra sit, quoties historiarum series eo nos ducit, de sacratissimae religionis capitibus, & de Christianismi fundamenta suffodientium perversitate, sententia. Dictata quoque investigent & examinent, & qua animi contentionе ab ipsis rerum principiis, Historiae sacrae, a certissimis divinae mentis interpretibus & scribis proditae, fidem, veritatem, & præ omnium gentium monumentis, antiquitatem & auctoritatem vindicemus. Miracula & prodigia, quæ invicta Dei manus, & potens naturae majestas edidit, quam non ex stulta populi credulitate, & anili superstitione, sed ex impressis divinitatis notis, & præmagorum & impostorum ludibriis & præstigiis excellentia adseramus. Indagent suspiciosi nimis in literatores, an non purae & simplicis a Christo & ejus administris proditae religionis fata prospera & adversa, integra & corrupta tempora, Antistitum factiones & opinionum divortia, saepe paria, saepe inaequalia in contrariis

trariis partibus rationum pondera & momenta, non populari quidem trutina, sed eruditis & artificibus usitata statera examinemus. Conversiones imperiorum & civitatum, quam non facto & casibus, sed unice providentiae, quae supra nos res curat, adscribamus. Fraudes impias sacerdotum, per vestigia priscae superstitionis incedentium, incrementa vitiorum & corruptelarum, quae in Imperium & Ecclesiam irrepserunt, candide enarremus. Paparum & Episcoporum avaritiam, ambitionem & tyrannidem, ab ipsa origine ad summum, quod obtinuerunt, culmen deducamus. Fundamenta & munimina, quibus crudele illud & sanguinarium in corpora & mentes imperium suffulcit, convellamus & labefactemus. Denique quam bene pro mediocritate ingenii & eruditionis nostrae, juventutis pectora ad Dei & Christi caussam agendum, & Ecclesiae purae & castae fines proferendos, & commoda amplificanda, fortiori militiae transmittamus. Hoc iter a primis renascentium literarum initii viri in nostra disciplina principes aperuerunt & ingressi sunt, hoc eorum vestigia premens, ab ipsis munieris publici auspiciis institi: hanc viam aliis sum-

ma cum fide & sedulitate monstrare , & dum  
senescenti & de vasis colligendis jam cogitan-  
ti Deus robur & animum suffecerit , tenere  
contendam. Patriae quoque carissimae florem &  
salutem , leges & libertatem civium , ab intol-  
eranda olim tyrannide , fide & virtute majorum ,  
immo cladibus & sanguine , adsertas lauda-  
re & propugnare , civibus & magistratibus tu-  
endas commendare , tenax propositi decrevi . Pa-  
trum patriae & optimatum prudentiam , & a  
bene & feliciter constituta republica novanda  
alienam mentem , omnibus praecognitorum lau-  
dibus ornare : constantiam & fortitudinem in  
removenda a finibus hostium incursione , &  
repellendo ab incolarum cervicibus gravio-  
ris imperii & servitutis metu , in exem-  
plum juventuti , seminario rectorum & senato-  
rum , manifestis documentis proponere non ces-  
sabo . Denique quod personae nostrae in pri-  
mis convenit , celebritatem & incrementum A-  
cademiae Batavae augere & amplificare , praem-  
mia , immunitates & praecipua jura , ex jurisju-  
randi , quo quotannis adstringimur , religione ,  
sine ullo temerantium metu , vindicare non  
dubitabo . Protervae & lubricae aetatis petulan-  
tiam

tiam , merito civibus & magistratibus intole-  
randam , conjuncta cum Urbanis magistratibus ,  
& Collegis opera , legitimis poenis & animad-  
versionibus coercere ; innocentium vero , & vi  
& injuria oppressorum integritatem a calumniis  
& falso intentatis criminibus propugnare cona-  
bor . Tandem a Deo Opt. Max. summis pre-  
cibus contendam , ut ejurato hoc negotii &  
molestiarum plenissimo , invidiae & obtrectatio-  
ni exposito , verbo magis quam re magnifico ,  
magistratu , successori ad vitae & studiorum  
quietem tranquillior , ad decus & famam Aca-  
demiae gloriosior , ad civium gaudium & emo-  
lumentum laetior & fructuosior , ad magistra-  
tuum favorem gratiosior , provincia tradatur .

D I X I.



## ERRATA.

-	Pag. i lin.		
2	6	solet	lege solent
3	9	descripti fuerint	describi cooperint
18	13	exspecta	exspectata
32	3	a fine cessabunt	cessabant
36	8	haberi	non haberi
-	Ult.	abhorrire, se	abhorrire se,
48	Penult.	memoriam	eiusque memoriam
54	5	omnis	omnes
58	18	Nam	delendum

D I X I

